



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

Parisiis, 1644

IV. Vt clericus vxorem, nisi virgiginem, non ducat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

II.

Item, si quis post remissionem peccatorum cingulum militiæ sæcularis habuerit, ad clericatum omnino admitti non debet.

III.

Si quæ autem causæ vel contentiones inter clericos, tam superioris ordinis, quam etiam inferioris, fuerint exortæ, vt secundum Synodum Nicænam congregatis eiusdem prouinciæ Episcopis iurgium terminetur. Nec alicui liceat, sine præiudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debet reuerentia custodiri, relictis his sacerdotibus qui in eadem prouincia Dei Ecclesiam nutu diuino gubernant, ad alias conuolare prouincias. Quod si quis forte præsumpserit, ab officio clericatus submotus, velut iniuriarum reus ab omnibus iudicetur. Si autem maiores causæ in medium fuerint deuolutæ, ad sedem apostolicam, sicut Synodus statuit, post episcopale iudicium referatur.

IV.

Vt mulierem clericus non ducat vxorem, quia scriptum est, *Sacerdos vxorem virginem accipiat*, non viduam, nec eiectam. Vtique qui ad sacerdotium labore suo & vitæ probitate contendit, cauere debet ne hoc præiudicio impeditus peruenire non possit.

V.

Vt si quis mulierem, licet laicus, duxit vxorem, siue ante baptismum, siue post baptismum, non admittatur ad clerum, quia eodem vitio videtur exclusus. In baptismo enim crimina dimittuntur, non acceptæ vxoris confortium relaxatur.

VI.

Ne is qui secundam duxit vxorem clericus fiat, quia scriptum est: *Vnius vxoris virum: & iterum: Sacerdotes mei semel nubant: & alibi: Sacerdotes mei non nubent amplius.* Ac ne ab aliquibus existimetur, ante baptismum si forte quis accepit vxorem, & ea de sæculo recedente alteram duxerit, in baptismo esse dimissum, satis errata regula: quia in baptismo peccata remittuntur, non acceptarum vxorum numerus aboletur. cum vtique vxor ex legis præcepto ducatur, in tantum vt & in paradiso cum parentes huma-